

inquisitionem instituere, et cognita veritate reos castigare, sicque bono communi providere valeant, arg. 1. *Ea quidem*, 7, et 1. *Singuli*, 14, c. de *Accusat.* Quæ denuntiatio sæpe etiam judicialis est, et ad eam reducitur, habetque illud speciale, quod iudex ea facta nullis a denominatore nominatis testibus, nec solemnitatibus supra a num. 94, præscriptis, statim inquirere possit per leges citatas; et denuntiator ad nullas teneatur pœnas, delato reperto innocente. Denuntiatio civilis subinde etiam vocatur illa, quæ a privato fit non ad vindictam publicam, sed ad interesse proprium juxta dicta num. 84. Verum de hac a præsentibus non est Quæstio.

## § III.

## DE INQUISITIONE.

149. *Inquisitio quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit inquisitio? Resp. I. Quod *Inquisitio* in jure quandoque denotet eujuscunque rei indagacionem, seu investigationem, arg. *Per inquisitionem*, 26, de *Elect.* et c. fin. § 1. de *Offic. delegat.* Ad præsens tamen agitur de ea, prout significat investigationem in materia criminali, et bene describitur dicendo: « Inquisitio ut sic, est criminis, vel criminosi per iudicem legitime facta investigatio. » Gonzalez, in c. *Inquisitionis*, 21, h. t. num. 8. Patet ex terminis; dicitur *criminis*, vel *criminosi*, ut comprehendatur quævis inquisitio non solum generalis, sed et specialis, per quam non tantum de crimine, sed etiam de criminoso in specie investigatio fit. Dicitur *legitime facta*, id est, juxta præscriptum Legum, et Canonum.

150. *Alia est generalis.* — Resp. II. Inquisitio principaliter, ac potissimum dividitur in generalem et specialem. Inquisitio generalis proprie talis, seu ut alii dicunt generalissima, est, quando iudex, vel superior nulla expressa persona, vel delicto in specie, ex mero officio suo generatim indagat, et inquit, an in provincia aliqua, vel loco, diœcesi, civitate, monasterio fiant, et facta sint aliqua delicta, an leges, et statuta serventur, vel fiat transgressio eorum etc. arg. c. 1. de *Offic. ordin. c. Grave*, 29, de *Præb. et Dignit. c. Sicut olim*, 25, h. t. quam inquisitionem ordinarie faciunt episcopi, dum visitant diœ-

cesin, superiores regulares, in visitatione provinciarum, et monasterium per jura citata. Item præsidēs, aut magistratus sæculares indagando, an crimina ex legum transgressiones fiant in districtu sibi subdito, arg. 1. *Congruit*, 13, ff. de *Officio præsid.*

151. *Alia specialis.* — Inquisitio specialis proprie talis est; quando iudex vel ex mero officio, vel ad alicujus privati querelam seu denuntiationem, vel ad denuntiationem alicujus privati vel officialis seu ministri publici ad id destinati inquit, seu indagat de delicto aliquo in specie contra certam et determinatam personam: investigando v. g. an Titius commiserit homicidium, vel fornicationem. Fagnanus, in c. *Qualiter*, il 2, h. t. num. 62; Maranta, de *Ordin. judic.* part. VI, tit. de *Inquisit.* num. 12, cum communi, arg. c. *Cum dilecti*, 18, et c. *Qualiter*, 24, h. t.

152. *Alia mixta, quæ etiam ad generalem reducit.* — Inquisitio mixta, prout a generalissima, et proprie stricteque generali distinguitur, est, quando iudex aut superior nulla determinata, vel expressa persona de certo aliquo crimine inquit indagando v. g. generaliter respectu personarum, quænam earum hoc furtum, vel istud homicidium commiserit. Et hæc inquisitio ad generalem reducit, passimque generalis, et merito dicitur. Vel e contra nullo expresso crimine, de certa persona indagat, an aliqua crimina commiserit, an leges observet, aut violet, quomodo in officio suo se habeat; etc.

153. *Generalis et specialis, alia paterna.* — Inquisitio præsertim generalis ulterius ratione finis dividitur in paternam, et judicialem. Paterna est, quæ superiore instituitur non ad publicam vindictam, sed ad dignoscendam vitam et mores subditorum, eo fine, ut errantes et defectuosi paterne corrigantur et emendentur, præscribantur convenientia media pro observatione legum, vel disciplinæ regularis: et ut boni ad gradus, et officia pro bono communi evehantur, etc. Qualis inquisitio fit ordinarie a superioribus regularibus, dum etiam canonicè visitant provincias, aut monasteria, juxta dicenda infra

154. *Alia judicialis.* — Judicialis vero est, quæ instituitur a superiore ut iudice ad vindictam publicam, publiceque puniendos delinquentes ad exemplum aliorum.

155 et 156. *Inquisitio generalis potest et debet subinde institui.* — Quæritur II. An, et

quando a superioribus institui possit vel debeat inquisitio generalis proprie talis, seu generalissima? Et utrum ad eam prærequiratur infamia?

Resp. I. Inquisitio generalis proprie talis non tantum potest, sed ex officio suis temporibus etiam debet fieri. Unanimis ac certa, claris juribus tam civili, quam canonico, c. 1, de *Offic. ordin. c. Romana, de Censib.* in 6, c. *In singulis, de Statu monach.* juncto concilio Trident. sess. 25. de *Regul.*, cap. VIII, et 1. *Congruit*, 13, ff. de *Offic. præsid.* Ratio est, quia bonum commune talem inquisitionem exigit, ut scilicet ea mediante innotescat, an, et qualia crimina vigeant, an, et quinam existant malefactores, quatenus, cognito rerum statu, pro exigentia circumstantiarum, superiores malis præcavere, delinquentes corrigere, et emendare, convenientia media ordinare, vel ulterius ad inquisitionem specialem progredi valeant, etc.

157. *Et quoties. Remissive.* — Quoties autem institui debeat generalis (quæ ordinarie est paterna) partim patet ex dictis lib. III, tit. XXXIX, num. 65, § partim ex § sequenti, partim ex tribunalium consuetudine, et statutis municipalibus.

158. *Potest institui absque præcedenti infamia, inquisitio generalis.* — Resp. II. Memorata inquisitio generalis proprie talis, seu generalissima etiam judicialis institui potest ex mero officio iudicis, etsi nulla de delictis, vel delinquentibus præcedat infamia, nec alienus urgeat denuntiatio. Maranta in *Praxi judic.* part. VI, tit. de *Inquisit.*, num. 29; Clarus, § fin. q. 6, num. 1; Farinac., in *Praxi criminal.*, p. I, l. 1, de *Inquisit.*, tit. q. 9, n. 18; Navarrus, cap. XVIII, n. 38; Abbas, in c. 1, de *Offic. ordin.*; Pirbing, h. t. num. 50, cum communi aliorum. Patetque clare per jura num. præcedentia citata: utpote vi quorum non tantum possunt, sed jubentur etiam superiores quandoque instituire inquisitionem generalem, nulla facta mentione, de præcedente infamia, aut denuntiatione alicujus. Quibus accedit adhuc concilium Tridentinum, sess. 7, cap. VIII, et sess. 21, cap. VIII. Confirmatur universali et quotidiana praxi tribunalium tam sæcularium, quam ecclesiasticorum, ac regularium. Ratio est, tum eadem, quæ in priori conclusione; tum quia per talem inquisitionem generalem etiam nulla præcedente infamia aut denuntiatione factam nulli fit inju-

ria, hoc ipso, quod de nullo in specie investigetur.

159. *Etiam judicialis.* — Dicitur notanter in conclusione: « Etiam judicialis; » quia quamvis inquisitiones generales præsertim apud regulares, imo etiam apud episcopos ordinarie non nisi paterne (canonice tamen, et legitime) fiant ad emendationem, et non ad publicam vindictam, ut bene observat Ameno, tit. XI, §. *Inquisitio*, § 1, num. 8, Tamen etiam judicialiter, et in publicam vindictam fieri possunt, prout cum communi allegati docere videntur doctores per jura num. 151 et 156, allegata. Nam c. 1, de *Offic. ordin.* expresse habetur: « Habeant episcopi singularum urbium in suis diœcesibus potestatem, adulteria, et scelera inquirere, ulcisci, et judicare, » ubi in inquisitione generali etiam judiciali sermonem esse, patet ex verbis *ulcisci, et judicare.* Et 1. *Congruit*, 13, ff. de *Offic. præsid.* de generali inquisitione disponens vult, ut « Præsides in sacrilegos, latrones, etc., inquirant, et prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, receptoresque eorum coercere etc. debeant, ubi verba, prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, » satis indicant inquisitionem generalem judicialem.

160. *Solvuntur jura contraria.* — Nec obstant textus in jure passim existentes, qui ad inquisitionem expresse requirunt præcedentem infamiam. Resp. enim cum communi, textus illos non loqui de inquisitione generali, sed de speciali; vi cujus inquiritur contra delinquentem in specie, ut cum Ameno, loc. cit., num. 8, bene observat Passerin. in *Tribun. Regul.* quæst. 8, n. 13 et 14.

161. *Requiritur tamen ad eam saltem suspicio, vel præsumptio, vel indicia, etc., de delictis.* — Qui ambo tamen etiam notant, quod etsi vera non requiratur infamia, requiratur tamen aliqua suspicio, vel præsumptio, vel indicia aliqua, vel confusa relatio, alicubi fieri delicta, aut homines ibi non bene vivere si inquisitionem judicialem instituere vult. Ratio est, quia, cum inquisitiones generales ordinarie non nisi paterne fiant, sine omni causa, aut motivo prudenti, judicialiter instituere non debet inquisitionem generalem.

162. *Nemo potest condemnari sine accusatore, vel aliquo supplente vicem ipsius.* — Accedit, quod inquisitio judicialis tendat ad

publicam vindictam, et pœnam, juxta dicta num. 155, ad hanc autem nemo condemnari possit sine accusatore, c. un. *Ut ecclesiastica beneficia sine dimissio. ibi*: « Cum nullus debeat damnari, et idem non possit esse accusator et judex. » can. *De manifesta*, 17, § *Sed scilicet adum*, cau. 2, q. 1, ibi: « Nullus simul potest esse accusator et judex; » ergo adesse quid debet vicem accusatoris supplens, denuntiatio nempe, vel fama, vel saltem aliquid loco famæ deserviens, præfata scilicet delictorum indicia, præsumptiones, suspiciones, mussitationes etc. ut favere possit textus, c. *Qualiter* 24, h. t. « Non tanquam idem sit accusator et judex, sed quasi denuntiante fama, vel deferente clamore officii sui debitum exequatur. »

163. *Judex si inquisitionem generalem judicialiter instituere vult, debet prius monere interrogandos.* — Illud etiam notandum superioribus, quod si inquisitionem generalem judicialiter instituere, et per eam immediate judicialiter procedere velint, id iis, quos examinant et interrogant, indicare debeant, ut sciant, quomodo respondere possint, et debeant; cum non una et eadem sit potestas, nec obligatio respondendi, seu detegendi delinquentium crimina in inquisitione judiciali, et paterna, juxta dicenda infra.

164. *Inquisitione mixta, seu generalis duntaxat respectu personæ debet institui, si jam constat de delicto.* — Quæritur III. An, et quando institui possit, aut debeat inquisitio mixta, seu generalis secundum quid explicata num. 153? Resp. I. Inquisitio mixta, seu generalis duntaxat respectu personæ, qua videlicet generatim et non in particulari de persona, an sit auctor, vel reus criminis, quod commissum esse jam constat; v. g. dum constat commissum esse homicidium, et investigatur tantum in genere, quis illud commiserit, non vero an Titius illud commiserit, non tantum potest, sed etiam debet institui, etsi nulla infamia, aut suspicio de certa persona existat, Clarus, § fin. quæst. 5, num. 5. Innocentius, in c. *Bona*, il. 1, de *Election*. num. 5, cum communi, arg. l. 1, de *Election*. num. 1, dicens ita servari in toto mundo; Pirhing, h. t. num. 54; Lessius, lib. II, de *Justit. et Jur.* cap. xxix, num. 14, cum communi, arg. l. 1, § *Qui questionem*, 21, ff. de *Quæst.* ibi: « Qui questionem habiturus est (per inquisitionem præfata generalem) non debet specialiter interrogare, an Titius homicidium

fecerit, sed generaliter, quis id fecerit; alterum enim magis suggerentis, quam requirerentis est. »

165. *Probatur ratiōne.* — Ratio est: tum quia, nisi talis inquisitio fieret, gravi cum detrimento boni communis scandalizarentur, et ad malefaciendum ulterius invitarentur tam delinquentes, quam reliqui videntes, iudices non inquirere in auctorem criminis etiam notorii, consequenter impune peccare posse; tum quia per talem inquisitionem generalem respectu personæ nulli fit injuria, nullius fama læditur, hoc ipso, quod de nullo in particulari indagetur.

166. *Hæc inquisitio aperit viam ad specialem.* — Aperit tamen præfata inquisitio mixta, seu generalis respectu personæ, viam ad inquisitionem specialem; quando videlicet in genere interrogati, an non sciant, qui crimen hoc fecerit, nominant delinquentem in specie, aut produnt indicia, ac probabiles suspiciones, aut famam contra ipsum, prout loc. cit. bene observat Clarus, num. 5. allegans communem, Aret. in c. *Cum oporteat*, h. t. n. 44; Pirhing, loc. cit.

167. *Potest etiam institui, etsi certo non constet de delicto.* — Resp. II. Præfata inquisitionem mixtam de delicto in specie potest judex instituere, etiamsi nondum certo constet, nec fama extet, illud esse commissum: dummodo adsint præsumptiones, indicia, suspiciones, etc. de illo, homicidio v. g. commisso. Patet conclusio per jura et rationes supra a num. 158, usque ad num. 163, allegatas, utpote etiam hic militantes.

168. *Et quomodo?* — Notandum vero, quando judex de delicto in specie, de quo nondum certo constat, inquisitionem mixtam instituit, de delinquentibus nec in genere inquirere possit, donec certo constet, delictum esse commissum. Ratio est, quia antequam de delinquente etiam in genere indagat, debet certo constare de corpore delicti, de quo in specie est inquisitio, juxta dicenda infra num. 201, et seqq.

169. *Inquisitio mixta illa, quæ est generalis respectu criminum, et specialis respectu delinquentis, pariter fieri potest.* — Resp. III. Inquisitio mixta, seu generalis duntaxat respectu criminum, qua scilicet inquiritur contra personam in particulari, et de criminibus in genere: v. g. An Titius non sit reus alicujus, vel aliquorum criminum? paterne

quidem, non vero judicialiter fieri potest. Ludov. Ameno, in *Praxi crimin.* tit. XI, v. *Inquisitio*, § 2, num. 2 et 12, cum aliis. Quod paterne fieri queat, patet ex universali tam sæcularium, quam ecclesiasticorum superiorum praxi et consuetudine, quæ est optima legum interpret l. 37, ff. de *Legib.* constat enim, quod episcopi, eorumque visitatores in diœcesis visitatione, quam ordinarie nonnisi paterne faciunt, de parochis, et aliis clericis in specie inquirere, et indagare soleant, quomodo se gerant, an leges et decreta observent, an vero transgressores earum existant? Item etiam superiores regulares et bene faciunt in suis visitationibus, quas ordinarie quoque non judicialiter, sed paterne tantum, canonice tamen ac legitime instituunt; dum generalis, vel ejus commissarii visitatores de provincialibus, et aliis superioribus, provinciales item de guardianis et aliis in specie interrogant, quomodo in regimine se habeant, an disciplinam et statuta observent, vel transgrediantur, etc. Quod specialiter etiam conceditur in nostræ religionis praxi criminali tit. XI, v. *Inquisitio*. § 2, diciturque amplius § sequenti. Sæculares quoque superiores dum territoria suæ jurisdictionis ordinarie visitant, idem praticant.

170. *Non autem judicialiter.* — Quod autem judicialiter id fieri nequeat, ratio est, quia, ut bene advertit Ameno, loc. cit. v. *Inquisitio*. § 1, num. 2, de delictis in genere, quæ in specie non exprimentur, et superiori ut judici proponuntur, nemo potest legitime accusari, denunciari, aut infamari ad hoc, ut superior judicialiter inquirere, et procedere valeat.

171. *Inquisitio specialis institui potest, vel ex mero officio.* — Quæritur IV. Quando nam fieri possit, vel debeat inquisitio specialis? Item an, et quando ad eam prærequiratur infamia? Ante responsum notandum, inquisitionem specialem dupliciter fieri posse, videlicet, vel ex mero officio iudicis, vel ad instantiam alterius accusantis vel denuntiantis. Ex mero officio fit, quando nemine judicialiter instante, id est, nemine accusante: aut judicialiter denuntiante, exigentibus rerum circumstantiis, et muneris sui ratione, vel obligatione, ex officio judex eam instituit. Quod etiam tunc facere censetur, quando occasione denuntiationis charitativæ, aut inquisitionis generalis venit in notitiam delinquentis in specie, et contra

illum inquisitionem specialem instituit; quia charitativæ denuntiantes, aut in generali inquisitione respondentes non instant, ut judex ulterius, et ad vindictam publicam judicialiter procedat: consequenter si occasione horum specialiter inquirat, ex mero officio agere dignoscitur.

172. *Vel ad instantiam partis.* — Ad instantiam partis vero specialiter inquirat, quando inquisitionem instituit præcedente accusatione, vel judiciali denuntiatione alterius instantis, ut judex processum faciat, et publica pœna pro vindicta publica delinquentem ad aliorum exemplum afficiat. Quamvis enim etiam in inquisitione speciali ad denuntiationem judicialem præviam facta, judex ex officio inquirere dicatur, ut bene notat Clarus, § fin. q. 7, n. 1, tamen hoc ipso, quia judicialiter denuntians vindictam publicam intendit, et pro ea instat, jam non ex mero officio, sed ad instantiam partis agere, et inquirere censetur judex. Hoc notato:

173. *Ex mero officio institui judicialiter nequit sine præcedente infamia, vel sufficientibus indiciis vitii ab inquirendo commissi.* — Resp. I. Regulariter, seu ordinarie loquendo, nullus judex, aut superior ex mero officio instituere potest judicialiter inquisitionem specialem contra personam aliquam in specie de delicto, contra quam ratione talis delicti non præcessit infamia, aut sufficientia indicia delicti ab ea commissi. Clarus, § fin. quæst. 6, n. 1; Fagnanus, in c. *Qualiter*, il. 2, h. t. n. 46, cum communi et certa aliorum, arg. c. *Cum oporteat*, 19, c. *Inquisitioni*, 21, c. *Qualiter*, et quando. 24, h. t. cum concordantiis, ubi expresse est sermo de inquisitione speciali judiciali in ordine ad publicam depositionis pœnam.

174. *Probatur ratiōne juris.* — Ratio est; tum quia inquisitio specialis est de genere prohibitorum, sicque regulariter illicita, exceptis casibus in jure expressis, ut loquitur Vilagut. lib. III, tit. de *Inquisit.* cap. III. Si quidem « sine accusatore nemo est condemnandus, » arg. l. *Rescripto*, ff. de *Muner. et honor.* juncto can. de *Manifesta*, 17, cau. 2, quæst. 1, ibi: « Judicis non est, sine accusatore, damnare; quia et Dominus Judam, cum fur esset, sciebat; sed quia non accusatus minime abiecit: » atqui in inquisitione speciali ex mero officio assumpta, nullus adest accusator; ergo debet adesse saltem infamia, aut indicia vicem accusatoris agen-

tia, arg. c. *Qualiter*, 24, h. t. : « Quasi denuntiant fama, aut deferente clamore; » tum quia per talem inquisitionem specialem sine prævia infamia institutam, graviter læderetur fama, et æstimatio proximi. Atque ideo et Dominus in Veteri Testamento contra Sodomitas, *Genes.* xviii, et evangelicus paterfamilias contra villicum, *Luc.* xvi, non nisi prævio clamore multiplicato suorum scelerum, seu diffamatione inquisitionem instituit, prout bene notatur cit c. *Qualiter*, 24, h. t.

175. *Potest tamen paterne institui sine infamia.* — Dicitur autem notanter in conclusione primo : judicialiter, sive ad penam seu vindictam publicam; si enim non ad hanc, sed solum in ordine ad correctionem, vel ad salutem animæ, consequenter non judicialiter, sed tantum paterne fit, non solum potest, sed quandoque etiam ex officio debet saltem summariter, et absque strepitu fieri, etsi nulla præcedat infamia, Abbas, in c. *Qualiter*, 24, h. t. et ibi Fagnanus, n. 45; Sylvester, *¶. Inquisitio*, q. 4, d. 3; Pirhing, h. t. n. 64, patetque clare ex jure : sic enim talis inquisitio etiam nulla præcedente infamia fieri jubetur, ne contrahatur matrimonium cum impedimento dirimente, c. fin. *de Clandest. desponsat.* similiter ne quis vitiosus, aut indignus eligatur ad prælaturam, aut jam electus confirmetur, jubetur præmitti inquisitio super vita, moribus, et idoneitate promovendi, c. *Postquam*, et c. *Nihil de Elect.* cum concordantiis. Idem fit, quando imminet periculum animarum, arg. c. *Ad nostram*, il. 2, *de Jurejur.* vel quando ex debito officii id competit judici, ut prius inquirat personam, si est apta ad tutelam. Omitto similia alia.

176. *Item etiam ad delationem publici ministri ad hoc deputati : cujusmodi apud nos sunt lictores.* — Dicitur secundo : « Ex mero officio; » quia potest judex nulla præcedente infamia instituire inquisitionem specialem ad præviam denuntiationem ministri, seu officialis publici ad indaganda et denuntianda crimina ex officio deputati, Felinus, in c. *Licet*, 3, h. t. n. 3; Pirhing, h. t. n. 31; Tuschus, litt. 1, conclus. 108, n. 32; Fagnanus, in cit. c. *Qualiter*, 46, arg. l. *Divus Adrianus*, 6, ff. *de Custod. reorum*, et l. *Ea quidem*, 7, c. *Accusat.* ibi : « Ea quidem, quæ per officium præsidibus denuntiantur citra solemniam accusationem posse perpendi incognitum non est. » Et in hoc satis con-

veniunt doctores; maxima autem inter illos controversia est, an etiam ad instantiam seu denuntiationem privati instituere possit inquisitionem specialem sine præcedente infamia : pro qua controversia decidenda ponitur conclusio sequens.

177. *Ad præviam denuntiationem judicialem potest institui inquisitio specialis absque præcedente infamia inquirendi.* — Resp. II. Quando ab aliquo etiam privato legitime fit denuntiatio vere judicialis, videlicet ad publicam vindictam denuntiatio in exemplum, et terrorem aliorum pro bono communi imponendam, potest judex specialem inquisitionem judicialem instituere contra personam denuntiatam, etsi nulla adhuc infamia præcesserit, Clarus, lib. V, § fin. q. 7, n. 1; Lezana, tom. I, cap. xxvii, n. 19, citans Suarez, tom. IV, *de Relig.* lib. X, cap. xii, n. 35; item Ludov. Ameno, in *Praxi criminali*, tit. IX, *¶. Denuntiatio*, § 4, quæst. 1, n. 24; Passerin. *Tribunal. regul.* quæst. 8, a. 4, n. 17; Lugo, *de Justit. et jur.* disp. 37, n. 64, et alii, contra non paucos alios. Probatur conclusio, quia infamia in inquisitione ideo requiritur, ut suppleat vicem accusatoris, juxta omnes, arg. c. *Qualiter*, 24, h. t. atqui in inquisitione facta ad præviam denuntiationem judicialem, ipse denuntiator agit vicem accusatoris, ut bene advertit Lezana, loc. cit. adeo, ut, licet se non inscribat, nec subeat penas talionis ut accusator, tamen uti accusator tenetur ad penas calumniæ, per dicenda, tit. seq.

178. *Confirmatur I.* — Confirmatur primo : in denuntiatione vere judiciali denuntians denominat testes, vel suggerit alia sufficientia probationis media, juxta dicta supra n. 95, per quæ sufficienter jam censetur diffamatus saltem apud judicem ille, qui fuit denuntiatus, Armeno, loc. cit. ergo non prærequiritur alia diffamatio.

179. *Confirmatur II.* — Confirmatur secundo : juxta dicenda infra n. 185, et communem doctorum etiam adversariorum conclusionis, potest institui inquisitio specialis contra aliquam personam absque præcedente illius infamia, quando adsunt saltem indicia delicti ab ea commissi; atqui quando quis denuntiat judicialiter, non tantum indicia, sed etiam plenæ ordinariæ afferuntur probationes; ergo etiam tunc non prærequiritur diffamatio. Nam a minori ad majus bene valet argumentum, arg. Athen. *Multo magis*, c. *de Sacrosanct. Eccles.*

180. *Confirmatur III.* — Confirmatur tertio : Non est major ratio cur judex ad denuntiationem officialis publici statim et sine præcedente infamia instituere possit inquisitionem specialem contra personam denuntiatam, et non ad denuntiationem judicialem alicujus privati viri (uti supponitur) probatæ vitæ. Imo major videtur ratio pro hujus, quam illius denuntiatione : tum quia in denuntiatione judiciali per privatum facta, sufficienter semper exhibentur veritatis argumenta, testes nempe, aut alia probationis media, juxta dicta n. 95, quod non semper, imo nec plerumque fit per officialem publicum : ergo si hæc sufficit, quod judex absque præcedente infamia, aut inquisitione illius possit instituere inquisitionem specialem contra personam denuntiatam; etiam et quidem a fortiori sufficiet illa. Præsertim quia etiam privatus denuntians judicialiter in casu isto est persona jurata, utpote juramentum deponens per dicenda infra.

Nec dicas, de ista non autem illa haberi, dispositionem juris supra n. 176, allegati. Respondetur enim : ubi eadem vel major est ratio, eadem est legis dispositio.

181. *Confirmatur IV.* — Confirmatur insuper : quando occasione inquisitionis generalis testes generaliter interrogati deponunt contra personam in specie, potest judex sine ulla præcedente infamia specialem inquisitionem instituere contra denuntiatum; quia talis depositio aperit viam ad illam, juxta dicenda infra n. 187. Atqui etiam denuntiatio judicialis aperit viam ad specialem inquisitionem, juxta dicta supra n. 125, ergo etiam illa habita potest sine infamia præcedente inquisitio specialis fieri.

182. *Solvuntur jura contraria.* — Nec obstant, quos adversarii copiose allegant, et sequuntur, canones, quibus absolute requiri videtur, quod quævis inquisitio specialis, quæ non ad instantiam veri accusatoris, sed ex officio judicis etiam præcedente denuntiatione fit, præviam infamiam inquirendæ personæ requirat. Respondetur enim canones volentes, quod ad illam quoque inquisitionem specialem, quæ denuntiatione præcedente ex officio instituitur, prærequiratur infamia, non loqui de denuntiatione vere judiciali ad vindictam publicam tendente, sed de evangelica seu fraternæ, vel ad summum de canonica, aut minus proprie criminali; quia illi antiqui canones denuntiationem vere judicialem

non agnoverunt, utpote jure consuetudine, et praxi nova primum introductam loco accusationis, prout ex eo liquet, quod dicti canones ad quamvis denuntiationem prærequirant correctionem seu monitionem evangelicam, c. *Qualiter et quando*, 24, § penult. h. t. ibi : « Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic et denuntiationem charitativa monitio, et inquisitionem clamorosa insinuatio prævenire; » cum tamen ad denuntiationem vere judicialem nulla prærequiratur monitio charitativa, per dicta supra § præced. n. 98.

183. *Quæ etsi quid probarent, essent abrogata consuetudine.* — Quod si contendas, canones etiam de vere judiciali denuntiatione loqui, et ad inquisitionem ex illa quoque factam, prærequirere infamiam. Respondetur : dictis canonibus quoad hoc jam esse derogatum consuetudine contraria, quæ licita et valida utique agnoscitur debet; tum quia ad inquisitionem specialem infamia non jure divino, sed humano duntaxat requiritur, ut post Lessium, lib. II, cap. xxix, n. 172, bene advertit Pirhing, h. t. n. 64, ad finem, arg. cit. c. *Qualiter et quando*, 24, h. t. ubi clare habetur, ex quibus auctoribus Novi et Veteris Testamenti postea processerunt canonicæ sanctiones; tum quia hæc consuetudo est pro bono communi ad coercendos malefactores, qui liberius procederent, si scirent, contra illos judicialiter nec inquiri posse, nisi publice jam sint diffamati.

184. *Observantia practica.* — Et hæc doctrina ac declaratio denuntiationis judicialis, et paternæ; item inquisitionis judicialis, ac paternæ; atque distinctio inter illas bene observanda; hanc enim quia non observant, sed judicialem cum paterna confuderunt, nonnulli doctores summa cum difficultate et obscuritate de hac materia scripserunt, et sibimet necessario contradixerunt, aliqui vero non nisi confusionem in intellectu, et tedium in animo legentis causant, ac difficillime intelliguntur.

185. *Potest insuper fieri specialis inquisitio absque præcedente infamia, si adsint sufficientia indicia commissi ab aliquo criminis.* — Resp. III. Dantur insuper alii casus, in quibus ad faciendam inquisitionem specialem nulla prærequiritur infamia personæ inquirendæ; quapropter etiam in conclusione 1, n. 173, posita notanter dictum est; « Regulariter, seu ordinariè loquendo; » quia pa-